Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXIX. Peregrinationes ac Vota num licitè fiant Sanctis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

QVÆSTIO XXIX.

Peregrinationes, ac Vota, num licitè fiant Sanctis?

I. HÆRESIARCH. I. CLAVD. Taurinenſis, ſub annum 815. teſte *Iona Epiſ. Aurel. l. 3. de cultu imaginum*, docebat inanes ad loca Sanctorum eſſe peregrinationes. Sic & Petrobruſiani, teſte autore *vitæ S. Bern l. 3. c. 5.* Et VVicleffiſtæ, teſte *Tho. VVald. to. 3. tit. 15.*

LVTHERANI, vt Magdeburg. *Cent. 4. c. 6.* finguntt tempore Conſtantini Magni cœptas peregrinationes; ſed ab Greg. Nyſſeno refutatas iſtis rationibus: *Cent. 4. c. 10.* 1. Quia Chriſtus, Matt. 5. illas non recenſuit inter octo beatitudines. 2. Quia pericula ſunt multa, præſertim fœmineo ſexui, in peregrinationibus. 3. Nihil inuenitur alubi, quod domi promptum haberi nequeat.

CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 13. §. 7.* Plenas impietate peregrinationes aſſerit: eò quòd omnis voluntarius cultus Deo diſpliceat.

PAPISTA. Satis ſui Luthero-caluiniſtas hæreſiarchæ refutant, in hiſce iam olim damnatos.

Verumtamen Centuriatores docere nunquam valent, eam orationem eſſe S. Gregorij; Neque in operibus eius habetur.

Deinde ea reprehendit, non peregrinationes; ſed monachis & monachabus eas non conuenire docet. Ita *Ionas l. 3. ad Claudium Taur.* Sic & S. Hier. mirificus peregrinorum encomiaſta, eas diſſuadet tamen monacho; exemplo S. Antonij, Hilarionis, &c.

Ad I. DICO, Peregrinationes non eſſe ad ſalutē neceſſarias, neq; ad pfectionē.

AD II. Et nos dicimus ob pericula non omnib. eas conuenire.

AD III. Nihil ad ſalutē neceſſariū; verū eſt: Nihil vtile inueniri alubi; falſum.

AD Caluini maximam dico: Voluntarius cultus ē tipſi dicitur, qui ſine ratione ſuſcipitur; Vt ſi velis lauare bis prius, quam comedas. At cultus Deo præſtitus per actū virtutis ē t non præceptus, non eſt ita volūtarius, etſi volūtariè fiat. Vnde, *Nu. 30.* iubet Deus impleri vota rerum ē t non præceptarum. Plura in meo *Luthero c. p. 1. q. 87.*

QVÆSTIO XXX.

An Chriſto, & Sanctis FESTI DIES ſint celebrandi?

HÆRESIARCH. I. EBION, teſte *Bron. an. LXXIII.* & Ebionitæ contendebant Iudæorum ac Chriſtianorum feſta vtraq; obſeruari oportere: Sic Euſeb. l. 3. hiſt, c. 27. Æthiopes idem innouarunt tempore S. Gregorii ipſo teſte *l. 11 ep. 3.* Quia, Exo. 31. *Pactum eſt ſempiternum.*

II Omnia feſta, ceu ceremonias Iudaicas tollebant Petrobruſiani, *in vita S. Bern. l. 3. c. 5.* & VVald. teſte *Guidone in ſumma.* Et VVicleffiſtæ; teſte *Tho. VVald. to. 3. tit. 16. c. 140.* Quia, 1. *Ro. 14. Alius iudicat diē inter diem: alius iudicat omnem diem*: id eſt, putat eſſe ſacrū 2. Gal. 4. *Dies obſeruatis, & menſes, & annos. &c.* 3. Col. 2. *Nemo vos iudicet in potu aut in cibo, aut in parte diei feſti* 4. Patres aiunt Sabbatum carnale Iudæorum à ſeruilibus abſtinebat; at Chriſtianorum Sabbatum ſpiritale eſt abſtinere à peccatis.

III. LVTHERANI, perindeque CALVINIANI dogmatizant quinq; 1. Feſtos agitare dies iuris eſſe diuini ac naturalis: iuxta Decalogum. Et rectè. 2. Ius illud dies determinaſſe nullos: determinari verò oportere à Paſtoribus; ſed populo conſentiente. AT non ea conditione Chriſtus Apoſtolis commiſit regimen Eccleſiæ. 3. Determinatos non debere cēſeri ſanctiores cęteris, ceu myſterioſos; ſed obſeruari ſolum ob determinationem. Docentq; è Paulo, vt ſuprà. 4. Sanctis dies conſecrare nefas. 5. Determinationē eam non obligare in conſcientia; niſi ob ſcandalū, ſeu contēptū. 1. Quia feſtū agere fuit res indifferens in primitiua Eccleſia; aiūt Magdeburg. vt iā in Sabbato pręedicarent; ceu Paul. *Act. 13.* iam in Dominica, qua Ioannes *Apoc. 1.* raptus fuit. 2. Quia *Gal. 4.* reſiſtitur Pſeudoapoſtolis feſta cum obligatione inferentibus. 3. Quia ait Heshus. cū Chriſtianorū, quā Iudæorū, plura ſint feſta; erit eorum iugum intolerabilius.

PAPISTA. Cum in *Luthero c. p. 1. q.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN